



Il latino moderno



Annus 2018 quartus inter calidissimos

Inter historiam climaticam statisticis conditam mundus numquam fuit calidior quam proximis quattuor annis. Omnium calidissimus fuit annus bis millesimus sextus decimus (2016), quo regionem Oceani Pacifici phaenomenon "El Nino" appellatum calefecit. Ceteri anni calidissimi fuerunt bis millesimus septimus decimus (2017) et bis millesimus quintus decimus (2015). Proximus annus (2018) quartus inter calidissimos fuit. Ex quo sequitur, ut quadriennium a bis millesimo quinto decimo ad bis millesimum duodevicesimum (2015-2018) fuerit calidissimum statisticis conditum. Sollicitudinem paravit, quod clima etiam in regionibus arcticis calidius fiebat. Et Australia inter magnam anni partem aestu et siccitate laboravit.

Irania naves bellicas in Oceanum Atlanticum occidentalem mittet

Sedes Iraniae nuntiis divulgandis rettulit naves bellicas in Oceanum Atlanticum occidentalem primo vere ab Iranis missum iri. Iter, quod quinque menses durabit, tres aut quattuor naves suscipient, quae Venezuelam aliasque terras visitabunt. Iraniam vexat, quod naves aeroplanigerae Americanorum continuo in Sinu Persico adsunt. Ideo Irania iam diu modum quaerit, quo ad has minas sibi ab USA intentas respondeat. Mense Decembri summus officarius nauticus a parte Iraniae monuit naves Iranicas in aquis Americanis propinquis navigare posse, quia etiam Americani prope Iraniam navigarent.

Samsung de exitu praemonuit

Samsung, societas technologica Coreana, de exitu minus fausto praemonuit: Lucrum ultimum trium mensium anni praeteriti fuisse paene triginta centesimis minus quam eodem tempore anni superioris. Societas rettulit venditionem decem centesimis decrescere et praemonuit etiam lucrum anni currentis minus fore quam ante.

Finni plus quam ante peregrinantur

Finni plus quam ante peregrinantur neque calefactio climatis consuetudines feriandi mutavisse adhuc videtur. Pecuniae Britanniae, Turciae Suetiaeque peregrinis sunt proficuae ideoque itinera in illas terras a quinque centesimis usque ad decem centesimas (5-10%) hoc anno augescere aestimantur. Etiam Graecia, Bulgaria, Aegyptus plures quam ante viatores attrahunt. Thailandia autem, ubi pecunia baht est admodum cara in relatione ad euronem, et Hispania aliquantum ex pristina gratia amiserunt. In Turcia inflatio fuit vehemens, nam libra Turcica dimidium valoris biennio perdidit, quod pretiis mercium celeriter augescentibus difficultates indigenis paravit.

Iuvenes Finni magistri mundani hoccei glacialis.

Ludi mundani hoccei glacialis iuvenum Vancouverii ad finem venerunt. In certamine finali die Epiphaniae (6.1.) facto grex Finnorum Americanos retibus tribus ad duo (3-2) superavit. Neque id primum factum est, nam iam quater antea iuvenes Finni eandem palmam ex ludis mundanis reportaverunt. Tertium locum occupavit Russia, quae Helvetiam quinque retibus ad duo (5-2) vicit. Tuomo Pekkanen

De bello civili Syriae

Donald Trump, praesidens Civitatum Americae Unitarum, copias Americanas ex Syria domum revocaturus est. Americani non iam eo spectare videntur, ut regimen praesidentis Bashar al-Assad evertatur. Dicunt eos administrationem novam et hodiernae dissimillimam in Syria videre velle, sed iis in animo non esse praesidentem al-Assad munere demovere.

Tumultus in Hungaria

His diebus multa milia hominum in Hungaria ministro principi Viktor Orbán et regimini eius vehementer reclamaverunt. Agmina tumultuantium ante sedem societatis radiophoniae generalis congregata dictis probrosis editis televisionem publicam de mendaciis accusaverunt. Tumultus initium ceperunt, cum lex rogata esset, ut tempus laborandi annum longius redderetur.

De ecclesia Ucrainae

Ecclesia Ucrainae orthodoxa, quae plus trecentos annos patriarchatui Moscuensi subiecta erat, coniunctionem cum Russis dissolvere et sui iuris fieri constituit. Hoc decretum factum est in Ecclesia cathedrali Sanctae Sophiae in urbe Kiovia sita, quo synodus episcoporum et sacerdotum Ucrainae convenerat. Illi concilio etiam Petro Poroshenko, praesidens civitatis, interfuit.

Investigatio oecologica

Centum fere agricolae Finlandenses investigationem internationalem nomine Carbon Action participant. Eorum est explorare, quo modo carboneum dioxydatum ex atmosphaera in humum agrorum et pastionum transferatur. Ex agricultura enim hodierna sequitur, ut emissiones carbonei dioxydati usque augeantur. Inter hanc investigationem experti diversarum disciplinarum civitatumque observationes agrorum examinant.

Valetudo Finlandensium

Finlandia valetudine civium in duas partes dividi videtur, ut ex pensionibus socialibus incolis solutis apparet. Linea, qua hae partes separantur, litem pacis Notteburgensis anno millesimo trecentesimo vicesimo tertio (1323) factae fere sequitur. Constat eos, qui in regionibus civitatis septentrionalibus et orientalibus vivunt, saepius et gravius aegrotare quam eos, qui in provinciis meridionalibus et occidentalibus habitant.

Sepulcrum priscum inventum

In Aegypto prope urbem Cairum sepulcrum priscum optime conservatum inventum est. Hoc monumentum tam statuis quam litteris hieroglyphicis coloratis ornatum circiter quattuor milia quadringentos annos habere existimatur. Insunt in illo sepulcro integro et a directoribus intacto omnino quinque cellae, quarum investigatio adhuc continuatur.

Dermophis donalditrumpi

In Panama non ita pridem nova species ranae reperta est, cui nomen scientificum ex praesidente Donald Trump datum est. Animal caecum, quod caput in arenam abdere solet, officialiter Dermophis donalditrumpi vocatur. Appellatione indicatur praesidentem eadem caecitate ad mutationem climaticam esse atque illam ranam.

(Da <https://areena.yle.fi/1-4585373>)

Scaricabile in podcast e in mp3

La radio finlandese in latino sta vivendo il suo trentesimo e forse ultimo anno di vita. Nata da un'iniziativa di insigni latinisti finlandesi, voleva dare un segnale di vitalità alla lingua latina e proporre una lingua comune all'Unione Europea che faticosamente iniziava la sua vita. L'idea di base era che il latino poteva esprimere anche contenuti moderni senza snaturarsi, estendendo il vocabolario per accogliere le parole moderne intraducibili e utilizzando un procedimento invertito nella creazione dei vocaboli, che non esistevano in latino ma che sono stati creati dai posteri utilizzando parole derivate dal latino.

La pronuncia di base è quella *restituta* o classica, con le inflessioni che ogni lingua locale porta con sé e che può anche essere oggetto di critica. Qualunque critica si può muovere, ma troppe critiche e incertezze portano al silenzio e poi alla morte. Ma il latino è ancora vivo.